

The Electronic Manipulus florum
www.manipulusflorum.com

Tempus siue temporale k
cum fonte primo

Fluunt omnia et in assidua
diminutione sunt.

Corpora nostra rapiuntur fluminum
more. Quicquid uides, currit cum
tempore.

Homo
fluida est materia et caduca et omnibus
obnoxie causis.

Seneca LXVII. epistola.

Quaecumque videmus aut tangimus
Plato in illis non numerat quae esse
proprie putat;

fluunt enim et in assidua
diminutione atque adiectione sunt.

Nemo nostrum idem est in senectute qui
fuit iuuenis; nemo nostrum est idem
mane qui fuit pridie.

Corpora nostra rapiuntur fluminum
more. Quidquid uides currit cum
tempore;

nihil ex iis quae videmus manet; ego
ipse, dum loquor mutari ista, mutatus
sum. Hoc est quod ait Heraclitus: 'in
idem flumen bis descendimus et non
descendimus'. Manet enim idem
fluminis nomen, aqua transmissa est.
Hoc in amne manifestius est quam in
homine; sed nos quoque non minus
velox cursus praeteruehit, et ideo
admiror dementiam nostram, quod
tantopere amamus rem fugacissimam,
corpus, timemusque ne quando
moriatur, cum omne momentum mors
prioris habitus sit: vis tu non timere ne
semel fiat quod cotidie fit!

De homine dixi,

fluida materia et caduca et omnibus
obnoxia causis:

mundus quoque, aeterna res et invicta,
mutatur nec idem manet.

Lucius Annaeus Seneca, *Ad Lucilium
epistulae morales*, 58, 22-24 (L.
Reynolds ed., vol.1, p.158, ll.11-27).